



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Virginitas quænam amissa recuperetur. Can. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

castissimæ virginitatis rosa in te deficiat, frangatur, marcescat, destruat, contaminetur, aut alterius cuiusvis caduca: rei amore depereat: certò sciens quandam singularem præ virtutibus cæteris, hanc obtinere prærogatiuam. Quia reliquæ virtutes, vt humilitas, patientia, paupertas, obedientia, charitas, & id genus aliæ quamuis amittantur, recuperari tamen per dolorosam contritionem & emendationem sufficientem, poterunt: Virginitas autem sacra ac impolluta, semel negligenter seruata aut amissa, nūquam redintegrari, nunquam salua obtineri valet, etiam si quis tot lacrymas fundat, quot mare guttas aquæ habet. Nec poterit dicere huiusmodi aliquis canticum illud, quod solis incorruptis ac verè virginibus dicere concessum est. Nam illæ, vt sanctus Ioannes Apostolus meus protestatur, sequuntur agniti quocumque terræ, hoc est, me sponsum cælestem, obtinebunt; à me singulare quoddam ac iucundissimum gaudium pro labore ac difficultate sui certaminis præ cunctis filijs hominum, quod mira quadam claritate in ipsarum corporibus fulgebit.

*Virginitas quænam amissa recuperetur.*

CANON II.

**V**irginitatem autem amissam quod dixi, non posse recuperari, hoc intellige, de corruptione aut corporis voluntaria pollutione, non de consensu rationis tantum in peccatum, non opere subsequuto. Nam tamen consensu talis maculet mentem, non tollit tamen virginitatis integritatem: ideo potest per dolorem talis macula dilui: secus est de integritate corporis. Namque sanctus Hieronymus diuino meo repletus spiritu. Audenter, inquit, loquor: Cum omnia possit Deus, virginum tamen non potest suscitare ruinam. Valet quidem liberare de pena, sed non valet coronare corruptam. Quapropter cum hæc ita se habeant, eo maior tibi cura, sollicitudo amplior, ac diligentia adhibenda sunt, vt hunc thesaurum illæsum integritate serues. Habebis nihilo minus in hoc certamine constituta gaudium quoddam eximium, ac singularem quandam à me interius consolationem, per quæ mirum in modum spiritus tuus reficietur, exhilarabiturque. quando videlicet intellexeris ex sacris libris sanctorumque Patrum scriptis, quàm mihi sit chara, quàmque accepta mei amore seruata virginitas, quodque tanto amore munditiæ & virginalem puritatem complectar exosculeturque, tantoque eam honorem, vt propriam dilectam sponsam meam, excipiam coronemque. Reuera enim Virginitas mea sponsa est. Ex quibus verbis facile deprehendes, quo aut ad quem amorem tuum dirigere debeas: Haud dubium quin ad me sponsum tuum, ad cuius honorem virginitatis tenes propositum. Nam certus sum iuuenilia corda & precipue virginum amoris expertia, sine amore diu subsistere non posse. Vnde moneo hortorque te ne sine amore sis, sed eo amorem tuum conuertas, vbi securior, honoratior simul & nobilior efficiatur, vbi munditior, castior, & sanctior reddatur: imò vbi ad summum honoris fastigium subuehatur. Nec timere habeas, vt pereat, sed vt incrementa sumat, plurimumque mereatur. Veruntamen hoc nusquam fiet, nec vllò alio amore, quàm meæ diuinitatis: hoc est, si me Dominum Deum tuum ex toto ac integro corde amaueris, me solum in omnibus quaesieris, spectaueris, concupieris, mihi vni adhaeris, mihi soli placere desideraueris. Quod si verò alteri studueris placere, aut amorem tuum rebus caducis momentaneisque maculaueris, scito quod me amatorem habere minimè poteris: quia amor quo ego amari volo, adeo delicatus adeoque est tener, vt nullum possit peregrinum sustinere amorem.

Amor.

Virginitas  
amissam  
nunquam  
recuperari.

Apo. 14.

Hieron.

Gaudium  
quoddam  
desur pro  
virginitate  
certantibus.

Sponsa  
Christi vt  
fit incorrupta  
virginitati.  
Amorem  
suum quo  
virgo trans-  
ferre de-  
beat.